

8394 . . . . Murdiae<sup>1</sup> L. f. matris. |*(Perit pagina minime una)*sed propriis viribus adlevant cetera quó firmiora | probábilioraque sint<sup>2</sup>. |Omnes filios aequé fecit heredés partitione filiae data<sup>3</sup>. Amor | maternus caritate liberum, aequalitate partium constat. |Viro<sup>4</sup> certam pecuniam legavit, ut iús dotis honore iudici augetur. |Mibi revocatá memoriá patris eáque in cónsiliu[m] et fidé suá adhibítá<sup>5</sup> aestumatione factá certás res testamento praelegavit, | neque eá mente, quo mé fratribus meis<sup>6</sup> quom [e]orum<sup>7</sup> aliquá | contumeliá praeferret: sed, memor liberalitatis patris mei, | reddenda mihi statuit, quae iudicio viri sui<sup>8</sup> ex patrimonio | meó cepisset, ut ea ússu (*sic*) suo custodia proprietati meae restituerentur. |

Constitit ergo in hóc sibi ipsa ut á parentibus dignis viris data | matrimonia opsequio probitate retineret, nupta meriteis gra[t]ior fieret, fide carior haberetur, iudicio ornatio[r] reliquere[ntur], post decessum consensú civium laudaretur, quom discriptio | partium habeat gratum fidumque animum in viros, aequalita[tem] in liberos, iustitiam in veritate. |

Quibus de causeis quom<sup>9</sup> omnium bonarum fémínarum simplex similisque esse laudatio soleat, quod naturalia bona propriá custodiá servata varietatés verborum non desiderent, satisque sit | eadem omnes boná famá digna fecisse, et quia acquirere | novas laudes mulieri sit arduom, quom minoribus varieta[t]ibus vita iactetur, necessario<sup>10</sup> communia esse colenda, ne quod | ámissum ex iústis praeceptis cetera turpet. |Eó maiorem laudem omnium carissima mihi máter meruit, quod | modestiá probitate pudicitia opsequio lanificio<sup>11</sup> diligentia fide | pár similisque ceteris probeis feminis fuit, neque úlli cessit vir[t]utis laboris sapientiae periculorum<sup>12</sup>, praecipuam aut certe | [nulli secundam memoriam sibi parans?]<sup>13</sup> (*incertum quam multa perierint*).

*Romae, incertum quo loco urbis rep., tabula magna marmorea (VI 40230 vidit Henzen). Cf. Rudorff Abhandl. Berl. Akad. 1868 p. 247 seq.; Vollmer Jahrb. f. class. Philologie Suppl. XVIII 1892 p. 484 seq. Inscriptionem esse aetatis bonae (temporum circiter Augusti) ostendit scribendi ratio (aestumatione, meriteis cet.). Notabiles sunt apices passim inter singula vocabula interpunctionum loco posita, forma non diversi ab apicibus quibus distinguuntur vocales longae. — 1) Femina praeterea ignota; nec minus ignotus filius qui hanc laudationem scripsit vel habuit. — 2) Haec quo pertineant non perspicitur (sed cf. Rudolf l. c. p. 246). — 3) Cf. Ulpian. fr. 24, 25. Dig. 36, 1, 22, 5. — 4) Vir hic, defunctae superstes, vitricus fuit eius qui verba facit. — 5) Dicitur mulier memoriam viri defuncti et propriam fidem quasi in consilium advocasse. — 6) Filiis Murdiae ex nuptiis secundis. — 7) forum lapis. — 8) Testamento viri prioris. — 9) q. quom lapis. — 10) Excidit sequitur vel simile quid. — 11) Cf. N. 8402. 8403 v. 8. — 12) Intellege pericula quibus virtutem laborem sapientiam comprobavit (sic fere Momms.). — 13) Supplevit Mommsen.*

*De simili oratione habita in honorem Matidiae cf. supra N. 327 not. 2.*